Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Deutsches Gebet- und Andachtsbuch - Cod. Wonnenthal 14

Wonnental (?), [um 1491-1493]

St. Bernhards 8 Verse, lat

urn:nbn:de:bsz:31-29334

Visual Library

Legitur in vita sancti Bernardi abbatis Clarevallensis quod demon sibi semel apparuit dicens se scire octo versus in psalterio quos qui cottidie diceret tantum meritum acquireret ac si totum psalterium davidicum decantasset. Et cum beatus Bernardus instaret ut sibi eosdem versus ostenderet Ille hoc facere recusaret. Tunc beatus Bernardus dixit miser quid faciam. nam cottidie legam totum psalterium deinceps sic predictos versus non obmittam. Quod cum audisset demon ne tantum bonum faceret postea sibi hos versus ostendit. Sunt autem tamen qui sequuntur.

Illumina oculos meos ne umquam obdormiam in morte: nequando dicat inimicus meus prevalui adversus eum. In manus tuas commendo spiritum meum: redemisti me domine deus veritatis. Locutus sum in lingwa mea: notum fac michi domine finem meum. Et numerum dierum meorum quis

est: ut sciam quid desit mihi Fac mecum signum in bono vt videat qui oderunt me et confundantur: quoniam tu domine adiuuisti me et consolatus es me Dirupisti vincula mea. tibi sacrificabo hostiam laudis et nomen domini inuocabo Periit fuga a me: et non est qui requirat animam meam Clamaui ad te domine. dixi tu es spes mea: porcio mea in terra viuencium

oracio dicenda post hos versus

Omnipotens eterne deus: qui ezechie regi iude te cum lacrimis postulanti de spacio vite spacium prolongasti: concede michi indigne famule tue ante diem mortis mee tantum vite spacium quo ad mensuram: vt omnia peccata mea valeam deplorare et veniam ac graciam secundum misericordiam tuam consequi merear per christum dominum nostrum amen

Mater digna dei: venie via: porta diei
Sis miseri rei: duxque comesque mei
Nata dei: miserere mei: lux alma diei
Digna celi: regina poli: me linquere noli
Me tibi virgo pia: genitrix commendo maria